

Marturius, & Dominicus Orcianicus fuere; hos triginta alii illustres viri secuti, qui Joannis Ducis exilium iniquo animo ab initio tulere. Carossium itaque adorti in suam potestatem redigunt, redactum excœcant, excœcatum in exilium agunt, Theodato Ciuro, Marino Patricio, Dominico Monetario, ac plerisque aliis Carossianæ factionis viris fœde trucidatis. Civitatis administratio tantisper, dum Joannes ex Gallia revocaretur, Urso Olivolenſi Antistiti, Basilio Traſimundo & Joanni Marturio commissa: quam illi reverso haud gravate restituerunt. Is procedente tempore quum graves simultates cum Maſtalicia familia exercere cœpiſſet, quæ tum erat in Venetis nobilissima, ab hominibus adversæ factionis pro æde Divi Petri, quo sacrorum hora se contulerat, insidiis exceptus, summæ dignitatis insignibus exutus, barbamque & capillos detonsus, octavo sui Principatus anno est Gradum relegatus: ubi sacris initiatus vitam postea cum morte commutavit.

Restitutus in Gradum insulam relegatur, ibique moritur.

831

Joanni defuncto Petrus Tradonicus surrogatus est. Is Pola oriundus, ex Equilio Gallico tumultu ejectus in Rivum altum venerat. Est Pola in Italiæ finibus oppidum vetustissimum, & a Colchis, qui ad Medeam persequendam missi fuerant, ut Callimachus scripsit, in sinu portus formam habente conditum. Tradonicus Joannem filium sibi collegam instituit: Paulo gentium Doctore ædem in ea parte urbis, qua hodie vestigio vetustatis visitur, largo, ut tunc erant civitatis opes, sumptu condidit. In hostes Narentanos aliquot expeditiones fecisse dicitur: sed eas ipsas parum prospere. Quidam filium ab eo quandoque missum tradunt, qui aliquanto fortius patre in piratas depugnarit. Veronensium legati per id tempus Venetias venere, auxilia imploratum adversus Benaci lacus accolas, cum quibus apparebat sine externa ope debellari non posse. Sunt qui scribant, ab ipsis accolis adversus Veronenses implorata auxilia: diligentiores tamen, quod prius diximus, tenent. Addunt ad hæc, Veronenses Venetorum consilio usos navigia quædam fabricasse, quibus in lacum deductis maturius sit cum hoste debellatum: Veneto non tantum gratiæ actæ, sed ex Verona quoque magnifica

836
Succedit Petrus Tradonicus.

Et D. Paulo ædem erigit.

839
Parum prospere pugnat cum Narentanis.

Veronenses a Venetis adjuti adversus Benaci accolas.